Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26076
Copyright: Admont, Benediktinerstift



et aliud simulans. et quicquid loquitur licet uideatur esse sapientia. tamen stul
ticia est. Propter hec extendit manum ad puniendum. et omnis impietatis eorum spi
nas uorax flamma consumet. et uerba absque uirtutibus que infructuoso
saltui comparantur inuoluentur fumi superbia. Ad eorum penam contremiscit
omnis humus. et decepti populi eternis tradentur ardoribus. quia turpis lucri
gratia. ne suis quidem parcunt. sed certatim de deceptis populis predas agunt.
relinquentes bona. et pessimis inmorantes. Cumque semper sinistra inue
niant. tamen suis numquam satiantur erroribus. uorantes carnem brachii sui.
et aduersus ecclesiam pari studio dimicantes. Propter luxurias et uolup
tates et lucra. de populis inter se habent discordiam. ut de una heresi
due fiant. Et rursum. Ipsi diuidantur in partes. ut proprias abducant
greges. et deuorent domus uiduarum. et mulierum peccatricium. semper
discentium. et numquam ad scientiam ueritatis peruenientium. In omnibus his
non auertitur furor domini. consumens uitia atque subuertens. sed quantum illi
proficiunt ad peccandum. tanto iste amplius manum suam extendit ad
penas. Ve qui condunt leges iniquas. et scribentes iniusticias scrip Cap. 10.
serunt. ut obprimerent in iudicio pauperes. et uim facerent cau
se humilium populi mei. ut essent uidue preda eorum. et pupillos diriperent.
Quid facietis in die uisitationis et calamitatis de longe uenientis.
ad cuius fugietis auxilium. et ubi derelinquetis gloriam uestram. Non
incuruemini sub uinculo. et cum interfectis cadatis. Super omnibus his
non est auersus furor eius. sed adhuc manus eius excelsa. Hec plerique
adhuc contra decem tribus dici arbitrantur. que habitant in sama
ria. quod ad priora scelera. et iam ista sociarent. Nobis autem uidetur contra
iudices tribus iude. et hierusalem scribas uidelicet. et deyterotas deyterotas
sermo propheticus conclamare. quod aduersum legem dei iniquas scripse